

tur idem illud, cum aliunde, tum vero in primis ex Jer. XXIX, 13, & Jac. IV, 8, quorum in illo loco dicuntur, *Deum invenire debere omnes quærentes eum ex toto corde*, in hoc vero loco Jacobus, *appropinquate, inquit, Deo, & appropinquabit vobis*, ἐγγίσατε τῷ Θεῷ, καὶ ἐγγίσει ὑμῖν.

## §. III.

Appropinquatio activa Nominis Dei, quia iterum duplici potissimum modo fit, *in appropinquationem, salutaris gratiæ, & specialis providentiæ divinæ*, non immerito subdistinguitur: Sic enim & Psaltes, Psalm. XLIX, 11, *uti Nomen Dei, inquit, ita etiam gloria tua*, ubi sine dubio per *Nomen Dei*, salutarem gratiam, per *gloriam* autem *Dei*, specialem Dei providentiam, intelligit, quod vel soli versiculi, 10, qui antecedit, & 12, reliquique, qui consequuntur, clare satis demonstrant. In illo *Nomen Dei* explicatur per *benignitatem Dei, quam pii & fideles in medio templo Dei expectant*, ex quo relinquitur *appropinquatio salutaris gratiæ divinæ*: In hoc, & consequentibus versiculis, *gloria Dei* dicitur elucere ex *justis Dei judiciis, & potentissima Sionis conservatione*, quæ ostendunt *appropinquationem specialis providentiæ divinæ*.

## §. IV.

*Appropinquatio Nominis divini, secundum salutarem ejus gratiam*, paulo plenius sic describi potest, quod fit illa, qua Deus totius generis humani, postquam illud per peccatum a Deo erat avulsum, ita misertus est, ut dederit illi non solum Filium suum unigenitum Redemptorem, Joh. III, 16, ut omnes cum eo conciliarentur, & per eum salvarentur, Gal. IV, 4, 1 Tim. II, 4, 5, 6, 1 Joh. II, 1, sq., sed etiam, cum illos ob profundissimam peccati corruptionem, ad hunc Servatorem cognoscendum, & meritum ejus apprehendendum, præviderit ineptos futuros, ut dederit illis in hoc Servatore media quo-

D

que